

M. PETRO.  
IAENICHO.  
RECTORI. EXCELLENTISSIMO.  
HODEGO. AESTUMATISSIMO.  
FESTIVITATEM.  
ONOMASTICI. DIEI. PETRINI. SOLEMNITER.  
PROSEQVENTI.  
SUUS.  
IOANNES. GEORGIUS. ZOEBNER.

---

THORUNII.

IMPRIMEBAT. IOANNES. CONRADUS. RÜGERUS. NOBILISS. SENAT. ET.  
GYMNASI. TYPOGRAPHUS. D. XXIX. JUN. A. M. DCC. VII.



Um antiquum obtineas in literis, FAUTOR dignissime, quas ab humanitate accuratio Eru-  
ditionis sibi vindicat, merito ju-  
re laetandum exultandumque est, quod ex  
florentissima ætate enectus, proiectiores,  
antiquosque annos nunquam videris. Nec  
me movent documenta eorum, quibus cavere  
expedit, ne sapienter factorum gloria justam  
temporum mensuram anticipent; ubi exo-  
lescere divinum, & ex incondita spei alienæ  
satietate humanum decus sterilescere repu-  
tant, quod animo complectantur. Jam au-  
tem undiquevaque Prudentiorum calculo com-  
probatum est, magno se tueri solatio illud,  
quod Sapientiam vocamus, quia sedem fi-  
xerat suam & hospitium, antequam tem-  
pora excrescerent; quæ dispensavit subito,  
variisque modis inflexit, nexaque hinc inde  
transtulit, pari à volubilitate & quiete Argu-  
mento nomina oblata suppeditans: Unde  
facile conjectura assequi licet, nulla posse  
constringi ratione, quæ à Natura sortiuntur  
libertatem & nisi remora ipsis iniciatur; præ-  
stantiam, roburque suum luculenter exerunt.  
Habet tamen & ætas prolem, in qua familiam  
ducit, cauta & omnis conditionis tenax per-

spicacia,

spicacia, qvæ lustrat obvia, præsentibusqve  
se immiscet sedulo, vitandæqve illecebræ  
rationem consulens, emendatam Doctrinam,  
in lucem afferit. Qvare omnino sentio, re-  
Etissimè olim distingvere temporum seriem  
confuevisse, qvæ animos ab negotiis sejun-  
git solitis, viresqve colligit intentas, & ad  
Spiritum redire jubet, qvi ingenuis bonarum  
artium animis debet commodari. Nunquam  
tamen in talibus subsecivis aut memoria lau-  
dum insigniter meritarum, aut opinio er-  
ga alios ob præclarè gesta deerat; qvo gau-  
dere & applaudere, publicumqve lætitiae te-  
stimonium exhibere possent mortales. Hæc  
qvæ colverant, Sacrorum nomine veniebant,  
dum plerumqve cultus & veneratio religiosa  
celebrabatur, per qvam mens inter varia ne-  
gotiorum districta, sensim componitur, ju-  
cundoqve silentio admiratur benefica, qvæ  
superne derivantur, sibiqve ita imperat, ne  
imperet. Cum itaqve, *Fautor Præclaris-*  
*sime Tibi* inter ceteros anniversariæ devotio-  
nis dies, ille qvoqve illuxerit, qvi D. Petri re-  
colit historiam, non solum temet ad avocan-  
dum à negotiis ordinariis animum, nec  
modo ad communem Ecclesiæ celebritatem  
observandam excitas, sed etiam, siqvidem  
**fausto** hoc fortunatoqve nomine *Tibi insigni-*  
to

to esse liceat, eximium Archetypi & Ectypi refers con-  
finium; dum totam felicitatem in tuum refundis sinum.  
Facis egregie, dum Tituli tui partes exples ad amissin,  
& principale subis munus, quo arcessis subsidia liberalis  
studii, primumque à fundamento lapidem locas, qui  
postmodum in stabile auctoramenti provehetur monu-  
mentum. Neque fortuito crediderim, & non arbitran-  
tibus fatis illum gestas, ut non quidem Virtutem nomi-  
nibus aliquam attribuere ausim, ad designanda tamen fa-  
ti fortunæque munera plerumque facere, variis stipatus  
Exemplis, firmiter statuam. Victores, Statiios, Valeri-  
os, auspiciatissima Vocabula, tam à communi fama, quam  
eventu judicavit antiquitas. Valde quoque afficior à non-  
nullis, quos omnis memoria confert, sapientib⁹, quorum Tituli  
memorabilis subtilitatis & duraturi acuminis erant in-  
terpretamenta. Aristoteles, tanquam optimus finis, Galenius  
ceu Tranquillus, Epicurus ceu Adjutor. Omnes  
eximii sui ipsius Imitatores, audierant. Vah quanta  
nomina! si aliquam & male sc̄pius intellectam labem  
excipias. Capis hinc Vir Doctissime, imo se se Tibi  
ultra offert augurium, quo sortis aleam rejicis, merito-  
rumque Constantiam Tibi circumponis. Petrorum e-  
quidem non Petronum insistis vestigiis, & Petronium  
Arbitrum tantum abest, ut arbitrarie exprimas, ut ele-  
gantiam solam, in Te demittas. Et quod in Symbolo  
Petræ nativæ duritiei, quæ ad omnem imbecillitatem  
occalluit, Symbolam præstes, quod Tibi ipsi apices glo-  
riæ nunquam intermorituros inares, effuse & impensius  
gaudeo, deque stabilimento gratulor. Privato si publi-  
cum addere debeam Votum, semper Statiolum, Salvi-  
num, Longinum in incolumitate exhibeas, Cur-  
tium nunquam, nunquam Minutum.

V A L E!

113526

113525